

Die 21 iulii
S. Laurentii de Brindisi,
presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum, p. 1065.

Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1106.

Collecta

Deus, qui pro nóminis tui glória et animárum salúte
beáto Lauréntio presbýtero
spíritum consílii et fortitúdinis contulísti,
da nobis, in eódem spíritu, et agénda cognóscere,
et cógnita, eius intercessióne, perfícere.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1089, n. 6.
Psalmus responsorius, p. 1080.
Evangelium, p. 1121, n. 3.

Go to the next pages to see what these suggestions are.

Die 22 iulii
S. Mariæ Magdalénæ
Memoria

¶ Evangelium huius memoriæ est proprium

Ant. ad introitum

Io 20, 17

Dixit Dóminus Mariæ Magdalénæ:
Vade ad fratres meos, et dic eis:
Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum,
Deum meum et Deum vestrum.

Collecta

Deus, cuius Unigénitus Mariæ Magdalénæ ante omnes
gáudium nuntiándum paschále commísit,
præsta, quæsumus, ut, eius intercessióne et exémplo,
Christum vivéntem prædicémus,
et in glória tua regnántem videámus.
Qui tecum vivit.

*Prædicamus Iesum Christum; nos autem
servos vestros per Iesum.*

Lectio Epistolæ secundæ beāti Pauli apóstoli
ad Corínthios 4, 1-2. 5-7

Fratres:

Habéntes hanc ministratióem, iuxta quod miseri-
córdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicávimus
occúlta dedécoris non ambulántes in astútia, neque adul-
terántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis com-
mendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hómi-
num coram Deo.

Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Iesum Chri-
stum Dóminum, nos autem servos vestros per Iesum;
quóniam Deus, qui dixit: « De ténebris lux splendéscat »,
ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatióem scién-
tiæ glóriæ Dei in fácie Iesu Christi.

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus,
ut sublímitas sit virtútis Dei et non ex nobis.

Verbum Dómini.

1080

Commune pastorum

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10 (R.: 8 a et 9 a)

R. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

² Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.

⁴ Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. R.

⁷ Sacrificium et oblatiόem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
⁸ Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
tunc dixi: « Ecce vénio. R.

⁹ In volúmine libri scriptum est de me
fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». R.

¹⁰ Annuntiávit iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scísti. R.

3

Alleluia

℞. Allelúia. ∞. Semen est verbum Dei, sator autem Christus;
omnis qui invenit eum,
manébit in ætérnum. ℞. Allelúia.

* *Exiit seminans ad seminandum.*

✠ Lécio sancti Evangélíi secúndum Marcum
4, 1-10. 13-20

In illo témpore:

Iterum cœpit Iesus docére ad mare; et congregá-tur ad eum turba plúrima, ita ut in navem ascéndens sedéret in mari, et omnis turba circa mare super ter-ram erant. Et docébat eos in parábolis multa, et dicébat illis in doctrína sua:

« Audíte: ecce éxiit séminans ad seminándum. Et factum est, dum séminat, áliud cécidit circa viam, et venérunt vólucres et comedérunt illud; áliud cécidit super petrósa, ubi non habébat terram multam, et statim exórtum est, quóniam non habébat altitúdinem terræ; et, quando exórtus est sol, exæstuávit, et eo quod non habéret radícem, exáruit; et áliud cécidit in spinas, et ascendérunt spinæ et suffocavérunt illud, et fructum non dedit; et ália cecidérunt in terram bonam et dabant fructum: ascendébant et crescébant et affe-rébant unum trigínta et unum sexagínta et unum cen-tum ».

Et dicébat: « Qui habet aures audiéndi áudiat ».

Et, cum esset singuláris, interrogavérunt eum hi qui circa eum erant cum Duódecim parábolas.

Et ait illis: « Nescítis parábolam hanc, et quómodo

omnes parábolas cognoscétis? Qui séminat, verbum sé-minat.

Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminátur ver-bum: et, cum audierint, conféstim venit Sátanas et au-fert verbum quod seminátum est in eos.

Et hi sunt qui super petrósa seminántur: qui, cum audierint verbum, statim cum gáudio accípiunt illud et non habent radícem in se, sed temporáles sunt; deín-de, orta tribulatióne vel persecutióne propter verbum, con-féstim scandalizántur.

Et álii sunt qui in spinis seminántur: hi sunt qui verbum audierunt, et ærúmnæ sáculi et decéptio divi-tiárum et circa réliqua concupiscéntiæ introeúntes suf-fócant verbum, et sine fructu effícitur.

Et hi sunt, qui super terram bonam semináti sunt: qui áudiunt verbum et suscípiunt et fructíficant unum trigínta et unum sexagínta et unum centum ».

Verbum Dómini.